SERENISSIMO AUGUSTINO VIALI SERENISS. REIP. GENUENSIS DUCI ORATIONEM...

Pietro Paolo Celesia

SERENISSIMO

AUGUSTINO VIALI

SERENISS. REIP. GENUENSIS DUCI

ORATIONEM INAUGURALEM

DE VINDICIIS

IUSTINIANEAE LEGUMLATIONIS

Habitam Pisis XVI. Kal. Decemb. MDCCL.

D. D. D.

PAULUS CELESIA GENUENSIS

IN PISANA ACADEMIA

IURIS CAESAREI INTERPRES EXTRAORDINARIUS.



FLORENTIAE APUD IMPERIALES TYPOGRAPHOS

ANNO MDCCLI.

SUPERIORIBUS ADNUENTIBUS.

SERENISSIME PRINCEPS

E*Tsi tantus est in Te splendor & dignitas, tanta, in specie ista Maiestatis, quam sustines, auctoritas atque amplitudo, ut magnum aliquod labore & industria perfecerit oporteat, si quis ullum literarum fructum offerre Tibi velit, qui Te dignus esse videatur, tamen neque aetatis neque ingenii ne-*

que studiorum meorum acerbitas me tenuerunt, quin tuo nomini hanc qualemcumque lucubrationem inscriberem, ut voluntatem erga Te meam & studium & supplicem observantiam publico, quo possem testimonio significarem. Cum enim duo praecipue in omni opere, quod a literis proficiscitur spectari soleant, nempe argumenti dignitas & praestantia, tum scriptoris etiam industria, alteri quidem rei veniam, ut es humanissimus, alteri vero, ut es rerum omnium praeclararum studiosissimus, patrocinium paratum esse intelligebam. Nihil itaque de me loquor, nihil me excuso, excusat me apud benignitatem, & clementiam tuam adolescentia, excusat desiderium probandae Tibi diligentiae meae vehemens ac singulare. Vindicata vero hac lucubratione ab obtrectatoribus (si modo res consilio respondet) Iustinianea legislatio, satis se ipsa commendat apud Te, SERENISSIME PRINCEPS, *qui leges in universum, & patrias potissimum ita foves, tueris ac curas, ut custodem diligentiorem vigilantioremque patronum nec leges, ut ita dicam, ipsae desiderent; usque adeo ita pridem apud animum tuum statuisti communem salutem, quam unice amas, a legum observantia pendere, ut illae si corruant, & haece stare omnino non possit. Itaque superioribus Comitiis Te sibi Patrem Patria exoptavit, tibi maximo omnium gaudio principales honores decrevit, Tibi*

qua-

quale maiores nostri instituerunt, & libera sert Civitas, imperium detulit ut ipsa tuo munita praesidio tutissime quiesceret, viaque per Te sterneretur posteris qua publicae possint felicitati consulere. Iam vero post tantas praeteriti belli vastitates & funera, aurea tuis auspiciis redusse secula quis non videt? quis non omnia esse ad securitatem composita fateatur? ultro quidem fatentur, qui tua virtute fruuntur Genuenses Cives, qui vigilantiam prudentiam liberalitatem & iustitiam tuam sermonibus usurpant, Te cum egregio Parente tuo, quem eidem gubernaculo praepositum meminere, comparare soliti sunt, quantumque utrique Resp. debeat commemorare: ac tamdem una voce consentiunt Parentis tui ad Te non modo sanguinis decus, sed etiam sapientiam consilium rerum denique prudenter fortiterque gestarum gloriam pervenisse. Verum nec solus es ex VIALIA *Heroum gente de quo illud Lyrici Vatis usurpare iure ac merito possimus:*

Fortes creantur fortibus & bonis;

Quum priscis abusque temporibus Maiores tui sacra immortalitati nomina, magnum Italiae decus, firmissimumque Reip. incrementum adiecerint, invicto semper animi robore, multaque cum ingenii laude domi forisque claruerint, praecipuos strenue Magistratus gesserint, & Gentilitias, ut ita dicam,

virtutes per longam Nepotum seriem cursu numquam interrupto ad Te usque transmiserint. Quod si tantum per Te, SERENISSIME PRINCEPS, *Avosque tuos nostrae huic Urbi lumen accessit, quantum a summis quibuscumque mortalium vix expectare fas esset, cur non eadem de liberis tuis cuncti sibi polliceantur, quos tibi similes procreatos, domesticisque exemplis innutritos Patriae educasti? Laeta haec spes concivibus tuis egregios numquam fortesque viros Reip. defuturos, tua donec satus progenie aliquis extiterit. Verum licet in ea sim causa, in qua illud unum difficillimum videtur orationis exitum invenire, plura tamen referre vetat singularis modestia, quae reliquas inter animi tui praeclaras dotes plurimum splendet, atque una cum eximia morum suavitate & sanctimonia omnium Tibi benevolentiam admirationemque conciliat. Quamobrem Te postremum quaeso obtestorque, ut exile hoc observantiae atque effusae voluntatis erga Te meae pignus benigniter excipias, optatumque mihi ac studiolis meis patrocinium largiaris, quod amplissimum laborum meorum fructum, & suavissimum ad maiora de literis molienda incitamentum fore existimabo.*

ORA-

ORATIO

EA plerumque est hominum indoles, & quam in suarum virium firmitate collocant, confidentia, ut quae bene ac feliciter obtingunt, praecoci ingenio suo referenda esse censeant, si quid vero humile atque aerumnosum diversae ferant temporum vicissitudines, id ex contrario fortunae afflatu pendere contendunt, quam aliis propitiam concelebeant, sibi malorum unice administram detestantur. Verum licet vulgaribus me quoque erroribus obnoxium fatear, huiusmodi tamen opinionis notam declinavi, quum vestro PP. AA. decreto facultate donatus sum civile Ius in hoc optimarum artium domicilio extra ordinem tradendi, neque mihi quidquam adrogandum existimavi, sed vestram tacitus adgnovi benevolentiam, vestroque id omnino esse beneficio tribuendum plane intellexi. Quum enim antea per aetatem illud unice curassem, ut saluberrimis imbuerer Philosophiae praeceptis, quibus ad bene beateque vivendum homines instituuntur, haud illis quidem studiis impense operam dedi, quae me disertum atque hac loci maiestate dignum efficere potuissent, sed quae iucundioribus docent otiis tempus fallere, privatumque honestae vitae usum unice respiciunt. Quamobrem non ea quidem dicendi copia scientiaeque viribus polleo, quibus eum, qui in coetu doctissimorum hominum sit verba facturus, instructum esse, atque abundare oportet, sed ita me omnibus fere bonarum ar-

tium praesidiis destitutum sentio, ut quae singula in oratore desiderari consueverunt, ea mihi universa deficere videantur. Haec aliaque plura animum adeo ac plus aequo meticulosum me effecerant, ut ne verbum quidem effari tot inter fama sapientia dignitate inclytos viros auderem, nisi hoc esset in more positum, grataque benignitatis vestrae recordatione erigerer atque excitarer. Quibus tandem praeeuntibus auspiciis demandatae mihi provinciae munera alacriter obibo, & vobis grato foenore pauca rependam ex iis Iurisprudentiae thesauris, quibus exhauriendis adytum mihi amplissimum institutiones vestrae reserarunt. Quoniam vero facultatem per se egregiam, unoque omnium consensu praestantissimam ex hoc ipso loco laudaverunt quamplurimi, ut ei vix nova accedere possit commendatio, ad peculiare aliquod argumentum descendere satius existimavi, atque Iustinianeae collectionis vindicias suscipere delicatulos contra novitatis asseclas, qui opus tot sagacissimarum gentium suffragiis [a] probatissimum magno querelarum adparatu aggrediuntur. Quum enim plerique eorum, quibus consilium fuit operam a Triboniano eiusque sociis colligendo iuri & in unum componendo navatam expendere, mediam insistere viam noluerint, sed vel nimis serviliter laudibus indulxerint, vel effraenatam redarguendi licentiam ultra fines protraxerint, haud abs re futurum putavi, si breviora haec patientiae vestrae momenta eo addixerim, ut huiusmodi censorum morositas in aperto collocaretur, simul & nonnulla humanae imbecillitatis vestigia, quibus Romanum maculatur iuris corpus minime dissimularentur. Quod quidem non temere tentatum fore arbitror, si quam viri doctissimi [b] in hac ipsamet causa calcarunt semitam, probe tenere, & brevi temporis spatio relegere mea haec ingenii tenuitas patiatur.

Genus est quoddam hominum difficilis ac morosae literaturae, qui famam sibi comparare student alieni nominis detrimento, si quid forte absonum aut inconsulte dictum offenderint damnant omnia, ac Phaedro teste *ut videantur sapere, Coelum vituperant* [c]. Haec tam immanis ac nefaria pestis quolibet propemodum aetate grassata est, & vix ullum insignem fortemque virum hisce non obiectum periculis numeramus. Quin & praeclarissimi doctrina atque

que

a Parvi quidem [illegible] faciendum est quod [illegible] [illegible] [illegible] Iustinianeo [illegible] [illegible] [illegible] *Ludewigius* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] apud plerasque cultiores gentes [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] usu probatur, habet Anthonius Dark *de usu*, & [illegible] & Burchardus Gott. Struvius *Hist.* [illegible] *Cap.* V.

b Huiusmodi sunt Ulricus Huberus, in *Eunomia Romana* & Cyprianus Regnerus in *Defensione Legum Romanarum* contra Marthetium et plurimos praeterea, de quibus infra.

c *Lib. IV fab. VI.*

que eloquentia viri, Homerus [1], Demosthenes [2], Plato [3], Aristoteles [4], Tullius [5], Virgilius [6] suos & ipsi obtrectatores sortiti sunt, qui magnis hoc pacto curarunt inimicitiis clarescere. Verum non mihi res est cum iis, qui Procopium, sive alius ille sit Arcanae Historiae Scriptor [7], fidum veluti ducem, quo uno veritatem acu tangere liceat, praeseferentes, haustas inde calumnias, solertique industria perpolitas in Imperatorem cumulant, & si quae laude digna, vel pace vel bello gessit, deturpare conantur [8]. Tulit superior aetas bene cordatos viros [9], quibus historici ne dicam Sycophantae dolosas fraudulentasque iniurias refellere menti fuit, & licet non naevis prorsus exuere & vacuum nobis praebere Principem potuerint, laudabilem sane demonstrarunt, atque utrobique cum in erroribus, tum in virtutibus maximi nominis [10]. Ne igitur a proposita mihi dicendi ratione dimovear, nihi

A 5

1. De Homero-mastigibus consulendus Leo Allatius in Hist. eruct. Homeri scil. VI & Io. Albertus Fabricius Bibl. gr. T. I.
2. Cicero in Oratore: *Quonam igitur modo Mysus, aut Phryx athenis, cum etiam Demosthenes exagitatur ut putidus?*
3. Vide Paulum Iovium in Trapezunt. elogio.
4. Petrus Ramus Lutetiae Parisiorum Magisterii titulum si sorpturus, cum literarii disputando exposuit [illegible] sustinere [illegible] est quaecunque ab A. [illegible] commenticia esse, vid. Io. Thom. Freigium in Vit. Petr. Rami p. 7.
5. Ciceronis elocutionem non veteres infesti sunt, Asinius Pollio, & Largius Licinius, [illegible] de quibus Walchius in Hist. critic. ling. lat. cap. IX. § VIII. [illegible] Gaspar Scioppius Barbarismos [illegible]
6. Virgilii osores fuere contemporaneus habuit Maevium & Bavium, quorum primum & Horatio [illegible] erat unde Epodon [illegible] X.

   Mala soluta navis exit alite
   Ferens olentem Maevium:

   vid. Servium in comment. ad v. 90 Ecl. III. Virgil. & Donatum in vita Virgil.
7. Procopium Caesariensem [illegible] sive arcanam historiam scripsisse Auctor [illegible] Vetum [illegible] ex [illegible] commentarius, quem primum ex Cod. Vaticano vulgavit Nic. Alemannus [illegible] Biblioth. Card. Lugduni 1623 dubium [illegible] Bonifacius in epistol. ad Dominic. Molinum quam refert Io. Christ. [illegible] dissert. de [illegible] Antiquit. cap. III § IV. Dubia etiam Io. Eichelius in animadvers. in Procopium [illegible] Combefisio [illegible] p. 19. & Cl. la Mothe Vayer Op. T. [illegible] p. 354. Quibus tamen se Fabricius Gu [illegible] eisdem [illegible] partes, [illegible] Fabric. Bibl. Gr. T. [illegible] p. 253.
8. Ut primum ex latebris prodiit [illegible] Procopii [illegible] ex hac veluti pharetra tela quamplurimi [illegible] desumpserunt, quibus Iustinianum confoderent & [illegible] qui [illegible] Suidae [illegible] [illegible] atque [illegible] Iustinianum Imp. [illegible] & Theodoram [illegible] [illegible] fide [illegible] [illegible] ut [illegible] ipsi [illegible]
9. In hoc [illegible] Gabriel [illegible] in Observat. apologet. Io. Christ. [illegible] in dissert. de [illegible] Christoph. Adam Rupertus ad [illegible] historicam Besoldi [illegible] XV. Tho. Rivius in [illegible] Iustiniani. Henricus Bergerus in Iustinia[illegible] atque [illegible] Io. Eichelius in animad. in Procop. Petrus Ludewigius in Iustiniano, aliique, qui omnem fere Arcanae Historiae auctoritatem [illegible] Et sane quaenam fides habenda est Scriptori, qui [illegible] in libro atque in illo [illegible] [illegible] [illegible] Iustinianum maxime commendat in [illegible] vero Arcanae Historiae [illegible] [illegible] [illegible] quas Belisario [illegible] commiserit, & deinde quae Iustinianus & Theodora scelerati gesserunt [illegible] P. 55. Ed. Alem. Iustinianum ex [illegible] daemone conceptum [illegible] Vid. Burcardum Gott. Struvium in hist. Iur. Proleg. § XIX. & Cap. III. § I. Fabricium Bibl. Gr. T. VI. p. 155. Buonquel. in hist. Iur. Par. II. C. I. § 13. Hein. in Hist. Iur. Lib. I. § 384.
10. Ita censet Ian. Vincent. Gravina Orig. Iur. C. [illegible] ubi [illegible] Maximum [illegible] [illegible] Procopius in Procem. L. I. de Aedif. ubi de eodem haec habet [illegible] quem si quis [illegible] Regem vocaverit [illegible] Excepit ab Afris Vandalis, Italia a Gothis [illegible] Persas repressit [illegible] bellis semper [illegible] Annata vero [illegible] Reip. templa excitata, atque orphanotrophia con-

c

hil de eius moribus dicam, quem nimis uxori nefariae feminae obsequutum fuisse proditum est memoriae [1], nihil de eius religione, quem olim in Eutychianam haeresim prolapsum, ac tandem Aphthartodocitarum partibus addictum ferunt [2]. Quamvis enim praeclara etiam testimonia deessent, quae plura ad ipsius laudem atque gloriam a sapientissimis viris prodita possem proferre, tamen quemadmodum virtus etiam in hoste laudatur, ita non eo benefacta sordescunt, quod vitiosum habeant auctorem. Modum igitur atque rationem dumtaxat, qua Ius Romanum Iustiniani auctoritate collectum concinnatumque est, mea haec spectabit oratio. Talis erat Iurisprudentiae facies vertente iam sexto Christiani nominis seculo, & fatali postmodum literis iam gliscente barbarie, ut assequi vix ullus posset praestantissimam hanc disciplinam in varias partes pro variis aetatum moribus divulsam atque distractam, innumeris perturbatam antiquis ac recentioribus placitis, longe demum lateque diffusam, aliis iam antea super alios acervatis libris, quos tanquam multorum Camelorum onus iam sub Valentiniano & Valente Eunapium designasse doctissimi quidam viri iudicarunt [3]. Sed non hisce continebatur finibus, qui iam altius insederat civilis scientiae squalor, & pristinae sedem occupaverat elegantiae. Nam quid discrepantes Imperatorum constitutiones commemorem, quid contraria prudentum responsa, quorum alii inter Sabinianos numerabantur, alii Proculo favebant, alii quemadmodum Stoici inter Pythagoreos, & Platonicos erciscundi erant [4], quos cum Sexto Pom-

peio

fecta feminam inter domestica hodeta [illegible] vetitaque expromam ipsi ab Evagr. L. IV C. 10 & Zonara L. XIV P. 61 avaritiam quodammodo excusat. Eam vero literarum expertem, atque [illegible] ex corrupto Suidae loco deceptos inter plurimos docuerunt Andr. Alciat. IV Dispunct. 17 & Guil. Budaeus P. I adn. ad Pand. quem locum Suidae restituit ex Codd. Vatican. Aleman. in not. ad Procop. P. 1? & de Iustino Senatu [illegible] esse probat Küsterus in Comment. ad Suidam. Theologiae, si fides Iustiniano [illegible], [illegible] vide apud Bernardi loc. cit. § 11 & Struvium in Hist. Iur. P. 378. Cum tamen [illegible] Iustinianeae [illegible] cum Agapeto, & Vigilio habuerit controversias, [illegible] ideo [illegible] propter contraria. Ser [illegible] forma est. Vide Habertum Gyphanium in Comment. de Imp. Iustin. & Thomam Pope Blount in cens. celebr. Auctor P. 378.

1. Testantur Zonaras L. XIV P. 60 Cedrenus P. 186, atque Imp. ipse in novell. IIX C. I. Ut eam sibi nuptiarum in matrimonium perfecisse Iustino avunculo [illegible] et [illegible] Cap. I. Leg. Iul. Pap. & Pop. L. 23 Cod. de nupt. Valent. Hottom. in comment. ad L. Iul. Pap. & Pop. C. II. § 4. Iustinianum

fingulari Programmate defendere aggressus est Henricus Brenkmann Vide Struv. in Hist. Iur. P. 268. & Ant. Terrasson in Hist. Iurisprud. Rom. Paris. 1750 P. 297.

2. Evagr. L. IV C. 39. Sed Iustinianum fuisse Orthodoxum contendunt adversus Evagrium, Baronium, aliosque Rich. Cracanthorpius, Kirchmannus, Arnoldus Corvinus, & novissime Samuel Schertzfleischius.

3. Eunapius in vita Aedesii haec habet [illegible] ut onus esse possent Camelorum multorum quem locum Heineccius in Syntagm. Antiquit. Rom. Proem. § 15 & in elem. Iur. Civil. § 2 & in Hist. Iur. Lib. I § 377 non non Everardus Otto ad Proem. Inst. § II & Struvius in Hist. Iur. P. 156. retrorquet de librorum numero ad quem increverat Ius Rom. Alios Georg. D' Arnaud variar. coniectur. Lib. I Cap. 30. qui putat Eunapium designare Geron [illegible] [illegible], atque [illegible] libellis [illegible], qui erant [illegible], idest [illegible] Rabularum, abstrusaque [illegible] dederunt. Iuvenal. Sat. 7 v. 117 Die igitur quid consulti [illegible] praestent Officia, & magno comitere in fasce libellos.

4. Servius ad III Aeneid. Ven. Ius Observat. Lib. I. C. 6.

peio miscelliones nuncupaverit [1]? Occurrisse huic malo videbantur Valentinianus III. emissa ad Senatum Urbis Romae oratione, ac Theodosius, eiusdem orationis parte in Codicem Theodosianum relata [2], qua paucorum dumtaxat Iurisconsultorum libris auctoritatem impertiti sunt, habita in litibus dirimendis plurium, qui in eamdem sententiam discesserant, ratione, ac si par esset Auctorum numerus, eam caeteris opinionem praeferendo, cui Papinianus adstipularetur. Sed in spongiam incubuerunt, & gravissimo malo peiora attulerunt remedia. Namque ita effectum est, ut numerarentur sententiae, non ad trutinam revocatae iusti & aequi ratione ponderarentur [3]. Innumeris profecto libris continebatur Romana Iurisprudentia, paucis auctoritas tributa erat: verum & illi, quos minime probaverat Valentinianus, optima pleraque complectebantur, quemadmodum, quae in Pandectis habentur fragmenta ex ipsis a Triboniano deducta luculentissime ostendunt. Enim vero quodnam praesens adferre poterant labanti, ac probe iacenti Iurisprudentiae praesidium, tot doctissimorum hominum volumina, e quibus ad fori usum nihil omnino decerpere ius erat [4], quae propemodum improbare, & contemnere indocto cuivis licebat, quotum denique nonnulla non dicam hominibus, qui plures Iustinianeo aevo in summa bonarum artium ignoratione versabantur, sed Iustiniano teste, vel ipsis erant eruditissimis viris incognita [5]? Quod certe in tanta Scriptorum multitudine mirum nemini esse debet, qui cum Iacobo Cuiacio, & Cornelio Bynkershoekio animadvertat, ipsa quondam aetate, qua Romana florebat Iurisprudentia magnos Iurisconsultos Ulpianum [6], Paulum [7], Marcianum [8] quaedam Imperatorum Rescripta vel ignorasse, vel forte non animadvertisse. His igitur tenebris involuta squalebat Iurisprudentia, supremumque iam fatum ipsi impendebat, quum Iustinianus eidem restaurandae illustrandaeque

 men-

1. *Merillius Observat. Lib. VIII Cap. I*
2. *Leg. unic. Cod. Theod. de Responsis prudentum*
3. Heinecc. *Hist. Iur. Lib. I* § 378 ubi ad eandem Valentiniani constitutionem hunc refert Ammiani Marcellini locum *Lib. 30 Cap. IV* „ *Secundum genus est eorum, qui iuris professi scientiam, quam repugnantium sibi legum abolevere dissidia, velut vinculis ori impositis reticentes iugi silentio umbrarum sunt similes fuerant.* „ Vide Conrad. *De Auctore de concept. Digest.*
4. Atque hac forte de causa quorundam Iurisconsultorum opera [illegible] Interpres Cod. Alaricianus [illegible] et ipse in Interpret. ad *L. unic. Cod. Theod. de Respons. Prudentum* testatur his verbis: „ *Scaevola, Sabinus, Iulianus atque Marcellus in suis corporibus non inveniuntur* „. Ubi tamen Iacobus Gothofredus in Comment. laudatas lucubrationes unice Galliam inter regnumque Tolosanum [illegible] latuisse ostendit. Pleraque etiam Pub. Iuventii Celsi opera sua Iustiniani aetate interiisse putat Heineccius *in Exercitatione de P. Iuventio Celso* [illegible] *T. I P.* 785. Alii etiam [illegible] volumina [illegible] tempora [illegible] Ant. Terrasson *Hist. Iurisprud. Rom. P.* 254 ex eo quod nulla habeatur mentio in Indice Pandect. Florentinis [illegible]
5. In constitut. *Deo auctore ff. de confirmat. Digest.*
6. In *L.* 3 § ult. & *L.* 16 *ff. de* [illegible] Cuiacius *ad Paull. in Lib. V Sentent.* Schultingius *Tit.* 15 § 5 *Num.* 37 *Iurisprud. Antejustin.*
7. In *L.* 56 § 1 *ff.* [illegible] Cuiacius in *Comment. ad L. X in princ. ff. De Pollic.*
8. In *L.* 6 *ff. de Rerum divisione* Bynkershoek *observationum Lib. I Cap. V*

mentem adiecit [1], & quales iactatis huc illuc aestuoso mari navigantibus, optatae salutis arridere nunch Castor, & Pollux, petiehtanti iam disciplinae faustum veluti sidus illuxit, excitavit iacentem, diffusam incertamque mirabili brevitate correxit [2]. Capto namque consilio iuris ad concinniorem formam redigendi per lectissimos viros [3] Principum constitutiones collegit atque ordinavit, ex antiquae sapientiae libris, quod optimum complectebantur, excerpsit conciliavit digessit, elementa conscripsit, ac tandem celebre illud adornavit iuris corpus, quod numquam extincta per tot saecula viguit auctoritate [4], & quo cultiores etiamnum gentes a barbaris distinguuntur [5]. In hoc tamen solidioris iurisprudentiae syntagma, quod diuturni temporis usus maxime probavit, atque eruditissimis viris tamdiu admirationi fuit, vel imperitissimus quisque impune calamum stringit [6], ut magna in eo carpendo obtrectandoque laus posita esse videatur. Atque ut minimis quibusque omissis cavillationibus [7] praecipua criminationum capita perpendam, alii Iustinianum, sive eius Quaestorem Tribonianum postulant, quod veteres sapientiae libros expilando aeternae eosdem oblivioni tradiderit [8], alii meras antinomias somniant, mutila interpolataque omnia nobis Iurisconsultorum fragmenta eum reliquisse obiiciunt alii, methodum denique culpant quamplurimi, ipsamque iuris distributionem [9]. Quod vero ad priorem

1 *Gundlingius Beneq.* [illegible] *in Hist. iur. par.* 17 [illegible]

2 Paulus Diac. *de gest. Longobard. lib.* I *cap.* 25. Ioannes Antiochenus *p.* 183

3 His omnibus Tribonianum praefecerat Iustinianus, summi quidem ingenii virum [illegible] Procop. *L. I de bell. Pers. p.* 71 Matthaeo [illegible] apud Tribonium [illegible] *p.* 371 atque [illegible] inter [illegible] *Cod. de leges non* [illegible] *Cod. praef.* [illegible] & quem Hesychius [illegible] Athenis vel Paganum fuisse tradunt. [illegible] Hesychius, & Suidas [illegible] Hubertus Giphanius *in commentario de Imp. Iustin. p.* 21 *ad.* *Argentorat.* [illegible] *Iustiniani* *p.* 37 Gravina *orig. iur. cap.* 137 Heineccius *Hist. lib.* I § 389 Nullo autem modo Tribonianus ab hac nota purgari potest. Quod vel *Francisc. Hotomanni Anti Tribonianum* probat, vel *Gravina* [illegible] *par.* 2 *cap.* 1 §§ 32. 33 *Auctor* [illegible] *Iurisconsultorum p.* 123 [illegible] Cornelius Bynkershoek [illegible] *Francisc.* [illegible] *Anti Tribonianus ipsis refutandus* [illegible]

4 Iusti [illegible] & auctoritatem [illegible] plurimis ostendit Donatus [illegible] *ad matricid. della ragion civile* [illegible] est, [illegible] Leibnitio [illegible] admodum fit [illegible] Clarissimo Terrassono *in hist. iurisprud. Romanae p.* 360 [illegible] esse

5 Plures quidem inter [illegible] Europae nationes [illegible] usi [illegible] dine ad hoc nostra tempora accommodatiore distributum repraesentant. Quod etiam aperte traditur in § 20 praefationis ad [illegible] *de droit Prussien* quod prodiit Halae 1751

6 De hac ipsa re conqueritur Heineccius *hist. lib.* I § 359

7 Vide Heineccium [illegible] *hist. iur. par.* 1 *cap.* 1 § 14 *& cap.* IV §§ [illegible] cum Burcardo Struvio *hist. iur.* [illegible] *p.* 685

8 Haec est Catellani Cottae querela *in lib. de Iuris perit.* [illegible] consulendus Donatus Asseda *opere cit. tom.* 1 *p.* 170

9 Notatur etiam Tribonianum quod Iurisconsultorum scripta qui libera stante Rep. [illegible] suppeditasse [illegible] sub Imperatoribus vixerunt, responsa in Pandectis retinent. Sed iam alio defensus est ab Antonio Schultingio peculiari oratione Iurisprud. Anteiust. [illegible]; Vide etiam Struvium *Hist. iur. p.* 307

rem illam querelam pertinet, ex memorato librorum, quibus veterum Prudentum sententiae continebantur, neglectu situque comprobari facile posse arbitror, nullo fere modo culpam in ipsum Imperatorem conferendam esse, quod tot antiquae prudentiae thesauris careamus, haud enim aliter ac miserrimum ipsorum fatum deploramus, deploraremus, intacti licet a Triboniani manibus evasissent. Et sane quanam ratione innumera pene Iurisconsultorum volumina ingruentis procellae rabiem sustinere potuissent, cum longe antea Mamertinus conquestus fuerit civilem scientiam libertorum esse artificium [1], atque adeo rudes fuisse, qui sua aetate iura profitebantur Marcellinus adfirmaverit [2], ut si quod veteris auctoris nomen audivissent, piscis aut eduli peregrinum esse vocabulum arbitrati essent? Anne, cum tot praeclarissima veterum Philosophorum monumenta, quorum titulos tantum apud Laertium, vel Photium in Bibliotheca cernimus, aetatem non tulerint, solis Prudentum voluminibus sorte datum fuisset, ut saeviente veluti maris aestu exagitati sese in portum reciperent? Quid immensi in tot describendis emendandisque libris labores ac sumptus [3]? Quid crebra iuris civilis mutatio, ut quae ad illud interpretandum scripta olim fuerant, eo mutato nullius essent usus? Quid scholarum, quibus Romana Iurisprudentia tradebatur interitus [4], rerum vicissitudines, incursiones Barbarorum, posterorum inscitia atque ignavia? Num haec prorsus obsistere non potuissent, quominus antiqua illa Prudentum volumina ad nostram usque aetatem pervenirent? Quin immo pace dicam vestra Iurisconsultorum manes, mera apud nepotes essetis nomina, & nos pretiosis illis e magno naufragio tabulis careremus [5], nisi summus Imperator splendori consuluisset vestro, & tutius Reip. utilitati. At esto, integras eo Prudentum lucubrationes deperiisse, quod ex iis optima quaeque Iustinianus excerpserit, in unum contulerit, & Imperiali auctoritate donaverit: num

1 *Mamertinus in gratiar. act. Iuliano Aug. Panegyr.* XI *cap.* 20.

2 Ammianus Marcellinus *hist. lib.* 30. *Cap.* 4. confer Heineccium *lib. I hist.* § 377 & Novellam Theodosii *Saepe nostra clementia dubitavit, de auctoritate Cod. Theod.*

3 Quanti fuerint pretii [illegible] MSS Codices [illegible] T. 3 *antiqu. med. aevi dissertat* 43.

4 Tres erant [illegible] Iuris [illegible] Scholae [illegible] Romana, Constantinopolitana, & Berytensis, ubi [illegible] Sed Berytus terraemotu eversa vehementerque incendio combusta fuit, ut habetur in eleganti Epigrammate Anthol. *lib. I. cap.* 68. *Epigram.* 69. Romam vero Barbari Septentrionales saepius expugnarunt, & Constantinopolis Turcarum Imperio cessit anno 1453. Terrasson *hist. Iurisprud. p.* 351 [illegible] num. 417 Constantinopolitanam Scholam, cum tamen iam tertio saeculo Berytensem claruisse Gregorii Thaumaturgi [illegible] ostendit Heinecc. in Antiq. Rom. *lib.* 1. *tit.* 25 § 28 & *hist. Iur. lib.* 1. § 62.

5 Gravina *orig. iur. cap.* 130. *Quae sunt igitur* [illegible] *veteris prudentiae vestigia* [illegible] *nisi haec nobis particulas Tribonianus excerpsisset.* Eadem fere habent Valentinus Forsterus *hist. iur. lib.* 3 [illegible] que Everardus Otto *in praefat. ad tom. I thesaur. iur. Rom.*

Num igitur tantae ipse Auctor iacturae? Num culpandi compendiariae scientiae Scriptores, quod desidiosi, ac delicati Iuvenes neglectis doctrinarum fontibus hisce toti vacent compendiis? Estne quod Photio [1], Stobaeo [2], multisque hac nostra aetate ephemeridarum Scriptoribus culpae vertamus, si omnem ex minimis hisce rivulis haurire scientiam student fastidiosi quamplurimi, ut praecipuos inde Sapientum labores vel fato cesserint, vel novis quotidie tenebris involvantur? Expilavit sane Iustinianus Iurisconsultorum volumina, excerptaque ex illis meliora in unum congessit, sed ut adolescentum iuvaret studia, & quae, ut ipse ait [3], pene diffusa, ac dissoluta erant, ad certum ordinem revocaret, & quasdam tandem leges constitueret, quibus Romanum orbem sapienter feliciterque moderaretur. Nam si temporibus barbaris illis quidem & tenebricosis recta agendorum norma, tuendaeque inter privatos tranquillitatis ratio, ius denique universum ex magno illo commentariorum pelago repetendum fuisset, quanam Cives securitate tranquillitate iustitia muniri & consociari potuissent [4]? Quapropter neque deplorandam satis animadvertunt iurisprudentiae conditionem, neque Imperatoris nostri consilium assequuntur, qui putant ipsum colligendo emendandoque iuri mentem adpulisse, ut tantos aboleret civilis scientiae thesauros, vel etiam communem ipsis, & praestantissimae disciplinae rogum extrueret, admotisque flammis extremum utrique diem indiceret [5]. Vidimus itaque ex innumeris Prudentum in varias sectas dispertitorum libris, contrariisque aliquando Imperatorum Constitutionibus illud profluxisse iuris corpus, quod summo Reip. bono Iustiniani auctoritate concinnatum fuisse demonstravimus, ut nulli iam aequo rerum aestimatori mirum esse debeat, si alicubi in tanto opere nonnulla veterum dissidiorum vestigia conspiciantur [6]. Quamquam vero pauca quaedam inter se contraria imbecillitatis humanae vitio in ius nostrum irrepserint, plura tamen, quam re vera sint, comminiscuntur minorum gentium Interpretes, tum Romanae Historiae, tum reliquis bonarum artium destituti praesidiis [7]. Verum quid hos commemoro? Testem appello Iacobum Cuiacium, qui de Guilelmo

1 Librorum quos legerat excerpta & censuras nobis reliquit
2 Veterum Graecorum sententias collegit
3 Constitutione *Tanta C. de vet. iur. enucl.*
4 V. de Grav. *tam orig. iur. cap.* 130
5 *Fabulatur* Franciscus Hotomannus *in Anti-Triboniano cap.* XI Iustinianum omnes Iurisconsultorum libros, post confectas ab ipso Pandectas concremasse. Subrefellunt putidissimam fabulam Brenckmannus *Hist. Pand. part. II cap. I* § 31 aliique viri eruditissimi
6 Ita censent Heineccius *in orat. de Iurisconsultis semidoctis opusculor.* p. 799 *Venetae edit.* Struvius *Hist. iur.* p. 290 *edit. Ienae* 1756 Iustinianus, quum dixisse se sit omnem e Digestis abstulisse antinomiam, ingenue fatetur in *L. III* § 15 *Cod. de vet. iur. enucl.* ubi aliquam forte in Pandectas irrepsisse suspicatur
7 Heineccius *loc. citat.*

mo Budaeo [1] bene alias de Romana Iurisprudentia merito pronunciavit = *Eum antinomias non percepisse, sed quae facile erant habuisse pro antinomiis* [2]. Testes appello praestantissimos viros Antonium Augustinum, Cuiacium ipsum, Franciscum Hotomannum, Iacobum Gothofredum, Gerardum Noodtium, Iosephum Averanium, Cornelium Bynkershoekium, aliosque plures, qui Florentini exemplaris, aliorumque manu exaratorum Codicum ope, innumera restituerunt loca [3], insertas aliquando imperitiorum notas repudiarunt [4], & cum omnia ad optimas artis criticae regulas revocassent, atque ex Graeca & Romana antiquitate illustrassent propemodum universa, nullos ibi profecto esse ostenderunt legum conflictus, ubi acerrimi quondam reparabantur. Quemadmodum vero ex compendioso scribendi genere [5] & librariorum oscitantia & non genuina legum lectione [6] antinomiae quamplurimae defluxerunt, ita nonnullas imperitis correctoribus debemus, qui cum post renatas literas non satis cautam restaurandis emendandisque legibus operam navarunt, quae tantopere insectabantur flagitia, & ipsi interdum admiserunt [7]. Praeviderat iam vigilantissimus Imperator nonnullas forte esse leges, quae seiunctim acceptae repugnare invicem viderentur, sed quae si diligentius expendantur, nullo fere negotio conciliari poterunt [8]. Iam vero, ut reliqua prosequar accu-

1 Plurima loca, quae inter se contraria videbantur, ex Pandectis [illegible] Budaeus in *Annot. ad Pandect.* Non quod de illis conciliandis desperaret, sed ut excitaret potius doctorum hominum ingenia quemadmodum sibi a Budaeo relatum Franciscus Connanus testatur, quem laudat Gilbertus Regius *Ενανττοφ. lib. I cap. XI*.

2 Cuiacius *in comment. ad l. 5 [illegible] 6 Cod. de Condict. Indeb. Oper. Tom. IX pag. 223 edit. Neapol.*

3 Angelus Politianus primus renascentibus literis adiit celeberrimum Pandectarum Codicem Florentinum, ipsumque cum vulgatis editionibus contulit ut habet Henricus Brenkmannus in *hist. Pandect. lib. IV cap. I.* Postea vero illum diligentissime evolvit Antonius Augustinus, atque inde IV notissimos emendationum libros concinnavit. Eo enim in lucem edito per Franciscum Taurellum an. 1553 plurimas eiusdem ope leges [illegible] restituerunt, atque emendarunt [illegible] quae inter praecipuas locum obtinent quos supra [illegible].

4 Unum proferam Desiderii Heraldi testimonium *obserV. & emend. cap. I Tom. III thes. a [illegible] pag. 1314*, „ *Pandectarum libros glossematibus, „ nec aetatioribus pro interpretatione, & quandoque „ etiam pro observatione, sive ad marginem, sive „ inter lineas adiectis abundare [illegible] hodie [illegible] „ nostris [illegible] deprehenditur [illegible] observationum plu- „ rimis in locis* „.

5 Vetuerat Iustinianus *leg. II § 22 Cod. de vet. iur. enucl.* [illegible] describendo [illegible] sive compendia. Verum hoc decreti [illegible] testantur [illegible] plus [illegible] compendia, quae in [illegible] Pandectarum Codice Florentino [illegible] contra Politianum, Franciscus Taurellus in *praef. ad Pandect.* Antonius Augustinus *emendat. lib. I cap. I.* atque Brenkmannus *hist. Pandect. lib. I cap. II.*

6 Illud Martialis *lib. II Epigram. VIII* usurpare posset Tribonianus de libris iuris ab ipso & sociis conscriptis

Non meus est error nocuit librarius illis.

Librariorum incuria [illegible] ex Manuscripto Codice qui extat in Biblioth. Caesarea Vindobonensi teste Lambecio *Lib. VI p. 14* [illegible] Theodorus [illegible] quae [illegible] *T. II [illegible] p. 1327* [illegible] Balsamonem [illegible] in Cod. Iustinianeo leges quae hodie desiderantur [illegible] Fabricius *Bibl. Gr. T. XII p. 401*.

7 Hoc ipsum animadvertunt Brenkmannus *hist. Pandect. [illegible] II cap. IV § 19.* Valentinus Forsterus *de iuris interpretat. lib. I cap. II num. 9.* aliique de quibus infra.

8 *In constit. [illegible] § 15 C. de vet. iur. enucl.* Vide Ludovicum Charondam *verisimilium lib. II Cap. I.* Dissertationes Digestorum [illegible] conu-

cusationum genera, eo pervenit effrenata Censorum quorumdam licentia, ut ferio exultent, ac sublimi, ut ita dicam, Coelum vertice feriant, si quas fingere interpolationes possint, vel aliud quidpiam huius notae mendum, quae omnia barbaro Tribonianismorum vocabulo designare consueverunt [1]. Quod autem de caeteris, quae in Iustinianea collectione vulgo notantur, mendis dicendum esset, de hisce interpolationibus, aliave in recitandis Iurisconsultorum sententiis Triboniani culpa pronunciavit summum Belgii decus Bynkershoekius [2], ne vigesimam quidem partem eorum, quae pro talibus habentur, recte haberi, cum saepe saepius ipsimet iuris interpretum principes, dum miro ardore Quaestoris nostri maleficia insectantur, hallucinentur misereque caecutiant. Id firmissimum comprobarent innumera penè praestantissimorum Iurisconsultorum testimonia, veluti Iacobi Constantinaei, Ioannis Steku, Christophori Riccii, Martii Gordonii aliorumque plurium, qui suppositas a clarissimis viris interpolationes, summo ingenii acumine reiecerunt [3]; sed monent me temporis angustiae, ut unius laudati Bynkershoekii auctoritati acquiescam, cum nemo tam strenue, tantoque doctrinae adparatu Triboniani, sive potius veritatis causam gesserit, & gratuita Censorum emblemata eliminaverit [4]. Nolim tamen quisquam existimet, atque si defendere constituarim, nullam omnino in Pandectis, vel Codice esse legem, in qua Tribonianus pro facultate sibi ab Imperatore concessa [5] aliquid vel immutaverit vel adiecerit vel detraxerit [6]. Quis tamen sanae mentis magnum crimen esse

componere peculiaribus libris aggressi sunt Iulius Pacius, Gilbertus Regius & Everardus Bronchorst Deventer[illegible] centuriis sex [illegible] cum conciliationibus vulgavit; extat & *conciliator iuris* [illegible] *Mercer* [illegible] *Rolandi* [illegible] *editus Duisburg* 1712 pluresque alii de quibus [illegible] *Bibliotheca* [illegible] *cap* VII § 17 [illegible] omnes fere iuris legum Interpretes

1 Quos in referendis veterum Iurisconsultorum verbis Tribonianus peccavit, ea Tribonianismos vocare solent; sive illorum sententias interpolaverit, sive multilaverit, sive integras etiam ac non suas fabricaverit, aliis adscripserit. Emblemata, sive interpolationes, aliasque Triboniani culpas [illegible] ta cum collegit Iacobus Wissenbachius. Tribonianum integra capita mutasse [illegible] Iurisconsultorum ac supposuisse quidem et finxisse & [illegible] Antonius Faber. Neque vero leviter plurimos Bynkershoekius in *praef ad tom* II *observ* p. 8. Vide *hist iur Struvii* p. 300 *& mat de Iurisconsultis* [illegible] *Heinecc opusc. tom* I p. [illegible]

2 In *praef ad tom* II *observ* p 14

3 Horum omnium opuscula quibus adserta Triboniano non solum a vulgaribus interpretibus, sed etiam ab ipso Cuiacio, Raevardo, Antonio Fabro, Francisco Hotomanno, aliisque emblemata reiiciuntur, extat in *thes iur Rom* quibus adnumerandi Ludovicus Charondas, Benedictus a Iesu Christo Carmelita excalceatus Ticinensis, Henricus Suerius in Wybo o *Dissert inaugurali contra* Wissembachium, aliique plures, quos brevitatis gratia praetermittam. Non raro Cuiacius loca, in quibus emblemata alii ad esse putarent restituerunt, in [illegible] *observ* adseruit. Exempla adfert quamplurima Bynkershoekius *in sua praef ad Tom.* II *observ.*

4 Id praestitit in quatuor posterioribus libris *observ iur Rom* ubi plura contra Wissembachium, Antonium Fabrum caeterosque emblematum, vel Architectos, vel collectores sapienter animadvertit.

5 *Const. de concept. Digestorum* § 7

6 Longe plures occurrunt a Codice Theodosiano quam in Iust. contra libros interpolationes adseruntur laudato Benedicto a Iesu Christo in *vindiciis dignitatis & auctoritatis* [illegible] *tom* V *Thes iur Rom.* p. 1323 quas etiam animadvertit Iacobus Gothofredus in *proleg ad Cod. Theod cap* 11

esse iudicet, nonnullas puris putisque Iurisconsultorum responsis additas fuisse voculas, quae transitionibus inservirent, discrepantes sententias conciliarent, quibus denique avulsa invicem fragmenta colligarentur [1]? An est cur tantopere Collectores carpamus atque insectemur, si forte unum aut alterum ex integris Prudentum dictis versiculum omiserint, et quae priscis accommodata temporibus scripta olim fuerant praesenti illi aetati converterent [2]? Cum vero eae sint brevitatis leges, quas vel ab initio mihi servandas proposui, Auditores ornatissimi, ut vix pauca quaedam ex uberrima messe delibari patiantur, iam collectionis Iustinianeae methodum breviter expendamus, quo patientiae vestrae finis, & sermoni qualicunque huic nostro coronis imponatur. Plerisque improbatur ordinis ratio, quam Iustinianus sive potius Tribonianus servavit, dum restaurandae ordinandaeque iurisprudentiae manum admovit, ut aliam subinde Connanus, Donellus, Leibnitius, Domatius aliique plurimi [3] iuris oeconomiam excogitaverint, qua quidem in re egregias licet laudes promeriti sint, haud magnam tamen Reipublicae utilitatem attulerunt. Dum autem quis Iustinianeam methodum insectatur, & temporum rationem habeat oportet, & Imperatoris nostri consilium probe teneat, ne, quam ipse feret, sententia aequa minus solidioris iurisprudentiae cultoribus esse videatur. Neque enim Iustinianus in ea incidit tempora, quibus difficillimum opus, quod ipsimet felicioribus nati seculis Cicero, Pompeius, Caesar conficere frustra tentaverant [4] absolvi omnino, atque ad summum perfectionis

1 Vide Brunquellum *hist. iur. par. II cap. IV* § 9.

2 Vetus etiam querela est, reperiri in corpore iuris leges geminatas. Harum catalogum dederunt Guido Pancirolus in *thesaur. variar. lect. lib. I cap. 78.* Antonius Augustinus *emendat. lib. I cap. 7.* & Pandulphus Prateius *lib. I Iurisprud. mediae*, qui eo nomine in Tribonianum & socios invehitur. Verum nonnullas geminationes excepit Gulielmus Fornerius *variar. lect. cap. I* Heineccius 737 & nostra Pratensium cum aetate scriptorum Gregorius Lopez *animadv. iur. cap. 36*. Cum tamen [illegible] verborum aut sententiarum repetitiones nihil iurisprudentiae officiant, facile Digestorum Collectoribus indulgeri posset, uti censet Brunquellus *hist. iur. Part. II cap. IV* § XI.

3 Nova iuris systemata iam olim excogitaverunt Franciscus Connanus, Hugo Donellus, aliique de quibus in Struvius in *hist. iur. cap. V* § 18. *De his tamen disserere super fol[...] verum ex actu [...]* Quod an vere dictum sit doctissimorum virorum iudicio relinquemus. Donelli quidem Commentarii in suo genere valent. Summus Leibnitius edidit Moguntiae A. 1668 *corporis iuris reconcinnandi rationem*, de qua ita iudicat De Neufville in vit. Leibnit. p. 33. *Apres tout, quand M. Leibnit auroit eu toutes les qualités necessaires pour donner un nouveau Corps de Droit sur le plan qu' il a tracé, à quel succés aboutiroit son s[...]orts? A faire un bon livre, malgré le quel il est trop vraisemblable, que la Justice ecrite n' eût été ni moins exposée aux fautes de la corruption des moeurs, ni moins en proie aux préventions & aux caprices de ceux, qui par leurs postes sont obligés d'y mettre ordre.* Laudatum Leibnitii ea etiam singulari opere [illegible] vit *Electionum Iuridicarum a Iustiniano*. Revocat leges quae a Iustiniano [illegible] tur ad naturalem ordinem revocare studuit Cl. Domat pandectis tractatu, qui inscribitur *Les loix civiles dans leur ordre naturel*. Sed licet Domatius hac ipso opere summe talenti pondus [illegible] tamen ipsi fuit ex Pasio suae collectione, multo Triboniano ex mententia coetum ovum. [illegible] taforum sylva legum deinsum regendae Reip. accomodationem habere & fuerunt cuibet eo locorum tributa.

4 Vide Brunquellum *in hist. iur. par. II. cap. I.* § 2.

nis gradum evehi posset, neque ipsi consilium fuit, tractationem quamdam Dialecticorum artificiis instructam parare, sed forensem praecipue usum respexit, litiumque prolixitatem amputandam curavit. Quocirca in Pandectis & in Codice ordinem iudiciorum ipsumque edictum perpetuum plerumque sectatus est [1] non quidem servili, ut ita dicam, imitatione, quin, ubi deficiebat, suppleret, multis veluti de magistratibus adiectis titulis, vel diversa, quoad ferebant tempora, immutaret. In Institutionibus vero Caii Iurisconsulti doctissimi vestigia premere [2], & simplicem quamdam elementorum seriem adolescentibus tradere satagit, quod quam feliciter obtigerit abunde Cuiacius testatur [3], & vel sola Merillii synopsis ostendit [4]. Non ea igitur de caussa, quod Metaphysicae iudiciariam methodum Tribonianus praetulerit, diffusa omnino, dissolutaque nobis iura tradidisse putandum est, cum redivivae iurisprudentiae pater laudatissimus Cuiacius adfirmat = *Cohaerere digestaque esse omnia arte mirabili non tam ingenio Triboniani, quam Iuliani Hermogeniani & veterum Prudentum, quorum ille vestigia secutus est, & qui aliam desiderant vel comminiscuntur artem esse ineptissimos* [5] = Non equidem inficior paulo asperiorem de viris ceteroquin gravissimis tulisse sententiam Iuris Interpretum Coryphaeum haud tamen immerito collectionis Iustinianeae vindicias suscepit, illisque bellum indixit, qui umbratilium facultatum artificio concionatum mallent iuris corpus, eaque methodo distributum, quae literariis potius faveret otiis, quam facile, rectumque civitatis regimen exhiberet. Imo vero laudibus efferendus est Iustinianus, qui alio volumine Imperatorum constitutiones, alio Prudentum responsa complexus est, ne quid iuris esset honorarii, quid ex Principum placitis derivatum ignoraretur, qui singula suis adscripsit auctoribus ipsomet loco, unde eruta fuerant, religiose indicato, ne quis merita fraudaretur laude, sed summa, ut ipse loquitur [6], antiquitati reverentia haberetur. Quae quidem omnia quanti sint, quantumque cul-

1 Edictum perpetuum a Salvio Iuliano Hadriani Imperatoris iussu concinnatum Iustinianus Tribonianum, sociosque sequi iussit in L. 1 § 15 *Cod. de vet. iur. enucl.* quippe quod longi iam temporis usu probaverit. Verum huiusmodi ordinem non semper fuisse observatum ostendit Dyonisius Gothofredus ad l. 2. *ff. de Stat. hom.* quem plurimi sequuntur, quos vide apud Struvium in *hist. iur.* p. 385
2 Ipse Iustinianus testatur in § 6. *proem. Instit.*
3 Cuiac. *observat. lib. XI cap. 38* = *Ex libello Institutionum* [illegible] *libello Institutionum neque comptior, neque facilior ullus est, quem interpretem minus desideret* Gravina *orig. iur. cap. 133* = *Quibus libris* (scilicet Institutionum) *vix aliquid superfuit elegantius aut felicius* : vide [illegible] de [illegible] *Iurisconsultorum* p. 121 *& seq.* Brunquell *hist. iur. par. II cap. III* § 15 [illegible]
4 [illegible] Gott. Heinecc. [illegible] *ordine elementa* [illegible] *quam praeclare sua [illegible] cohaereant* [illegible] *commonstraret*, ut ipse ait in *praef. element. iur. civil. praefixa* p. 12
5 *In Paratitl. ad tit. ff. mandati*
6. L. 2. §§ 10. 20. *Cod. de vet. iur. enucl.*

cultiori promovendo conduxerint iurisprudentiae studio, nisi quis hospes in hac arte fuerit, fugere profecto arbitror neminem [1]. Inconsulte vero Iustinianei iuris concinnatores vulgo notantur, quod significationes verborum & regulas iuris in postremum operis calcem reiecerint [2]; inconsulte inquam, cum non haec operis isagogen contineant, sed duplicis veluti epilogi gratia subiecta sint [3]. Alter enim titulus vocum indicem veluti quemdam exhibet toties consulendum, quoties dictiones aliquae significationis minus perspectae occurrent, alter vero porismata & Corollaria complectitur ex universo volumine excerpta, uterque meat, ac sese diffundit per totum iuris corpus. Verum hoc fortasse in Iustinianea collectione improbandum esse videtur, quod quae re ipsa eamdem tractationem respiciunt partim in Codice, partim vero in Pandectis ceterisque voluminibus diffusa reperiantur, secus ac in libris Basilicorum, quos nono saeculo vertente a Basilio Macedone, ad perdendam Iustiniani memoriam [4] inceptos atque delineatos mox Leo filius perfecit, & Constantinus Porphyrogeneta repetita praelectione purgavit [5]. Quamvis enim laudati *Διατάξεων Βασιλικῶν*, seu vulgato nomine Basilicorum libri ex institutionibus, Digestis, Codice, Novellisque iamdudum in Graecam linguam translatis potissimum consistent [6], ut ipsummet Iustinianeum ius in illis contineatur, diversa

1 [illegible] legis adscriptionem [illegible] summae ac [illegible] fuerunt. [illegible] *hist. iur. par. II cap. IV* §§. 28. 29. tum dispersa in Digestis Iurisconsultorum fragmenta colligerunt [illegible] exemplo esse [illegible] Cuiacius qui [illegible] membra [illegible] collegit, & [illegible] Antonius Augustinus *emendat. lib. I cap. IV* [illegible] Iacobus Labittus, qui indicem legum omnium, quae in Pandectis continentur, [illegible] Iurisconsultorum libros referens, [illegible] fuerunt.

2 Scilicet titulos *de verb. signif.* & *de Regul. iur.* quibus claudi [illegible] Digestorum opus.

3 Videndi omnino oratio de [illegible] Romanorum [illegible] Actualdi [illegible] *de regulis iuris* & *de verborum significatione* [illegible] declarat. [illegible] locum obtinent, [illegible] Donat. [illegible]

4 Ita censent inter plurimos Innocentius Cironius *observat. iur. Canon. lib. V cap. V* Struvius *hist. iur. cap. IV* § 2. p. 35 [illegible] 138 Marquardus Freherus *in praef. ad ius Graeco-Romanum* Ioan. Leunclavii, Christ. Christius in *disquisit. de secunda capite legis Aquiliae*, & Antonius Terrasson *hist. iurisprud. Rom.* p. 317

5 Basilius Macedo an. N. Chr. 867 ad imperium evectus [illegible] collectionem [illegible] perdatur, [illegible] sive Manuale [illegible] Leone & Constantino sive Alexandro [illegible] Constitutiones [illegible] Graeco-Romani Ioan. Leunclavii Leo Philosophus [illegible] *Imperatoriarum constitutionum* volumen perfecit, & Constantinus Porphyrogeneta [illegible] Basilicorum [illegible] in lucem [illegible] Theodorus [illegible] *in praef. ad nomocan. Photii* [illegible] Vide [illegible] *Bysticum* §§ 1. 3. 10. 11 apud Fabricium tom. XII *Biblioth. Graec.* p. 467

6 Institutiones Theophilus [illegible] Pandectarum [illegible] Thalelaeus [illegible] Iustiniano [illegible] nota.

sa tamen servata ordinationis ratione distributi fuerunt, & cum omnia aliorum Conditores in unum volumen congessissent, quae singula ad eandem rem pertinent, peculiarem certamque sedem obtinuerunt. Iam vero praestet Iustinianeae, quae sequentibus placuit Orientis Imperatoribus methodus, quod plura in Iustinianeis libris dispersa, uno loco collecta legentibus exhibeat, quis tamen ferre poterit, ut quae vel proposuerat Praetor, vel Prudentes invexerant, vel Imperatores constituerant, nullo habito discrimine promiscue confundantur [2]? quis praetermissis legum ex Iustinianea collectione derivatarum inscriptionibus, suppressisque Iurisconsultorum nominibus Romanam squalere iurisprudentiam non fateatur? Sed quamvis haec quidem vitia omitteremus, aliis tamen mendis Basilicorum libros scatere compertum est [a]. Neque enim Graeci Interpretes Latini sermonis vim, quam omnem in legibus esse testatur Politianus [3] interdum assequuti sunt [4]; neque cum de ea ageretur disciplina, quae vel ab incunabulis Romana fuerat, a peculiaribus Latinis iurisprudentiae vocabulis abstinere potuerunt [5], ut barbara pene atque incondita oratione legum illarum elegantiam maiestatemque labefactaverint, in quibus haerent viri eruditissimi, an styli gravitatem & robur, an rerum scientiam ipsamque in disputando interpretandoque humani-

la-

mila hoc est ad literam Abbas Stephani, Cyrilli & Dorothei versiones habet Matthaeus Blastares apud Fabricium tom XII Biblioth Graec p 370 sed quae vel ex κατὰ πόδας sive paraphrastice vel ἐπιτομή idest compendiosi vel κατὰ πλάτος idest ... magis prolixe ... Codex vero ab incerto quodam translatus fuit, quem ... Kalonomen Basil ... putat Freherus in Praef ad ... Graeco-Romanum ... quam ... in Insula Creta vidisse ... Svalemburgius in prologo ad ... Extat quoque Codicis verbo Tarcica ... Patet ... prologo ... Leunclav et ... novellarum versiones ... Basilic §§ ... Ex his igitur libris ... novellis tamen ... ex Iustinian ... aliorum posteriorum Imperatorum ... constitutionibus, ... Basilic §§ 27 -4 Vide etiam Heinecc hist iur lib I § 406 Struvium in hist iur p 315 ...

2. Libri Basilicorum ab Iustinianeis potissimum differunt, quod ... Legum ... Pandectis non distinguntur, neque Imperatorum constitutiones a Prudentum responsis ... sed omnia in unum congesta ac pene confusa ... reperiuntur

a. V de Io. Gott. Heinec. hist. iur. civ. lib. I §

406. Claudium Chiflettium in dissertatione de ... capite legis ... Thesaur. iur. Rom. tom V p 874 ubi tamen ... de Leone Philosopho ... pronunciat

3 Angelus Polit. mis lib 10 epist ad Marq Bernardum Pandectarum ... Ioach. Hagemeier de ... cap. DL § XVIII praeter Laurentium Vallam elegantiar. lib. III ... plurimi

4. Testis nobis ... Leonis Gothofredus ... in appendice ad Philosophi Cyprioten ... ad leg. XIII Cod. de ... p. ... De Graecis interpretibus Iustinianei ... haec habet ... non semper ... Latini ... quidem ... legum ...

5 Hoc ipsum ... Modest ... leg. 1 ff de excusat ... Graecos Interpretes ... Cange in praef ad Glossarium mediae & infimae graecitat p. 13 § ... glossis vocabulorum ... MSS Cod Biblioth Regiae ... Carolus ... Latina verba, quae ... Graecis ... graece ... Vulteium Illust. iur. Rom. p 1206

tatem & industriam magis admirentur [1]. Sed & veterum Iurisconsultorum fragmenta, quae Tribonianus fortasse interpolavit, idem in Basilicis vitium retinent, imo illis etiam nonnulla adnumerari possunt, quae in Pandectis integre omnino, & religiose exhibita erant a Basilicorum Conditoribus infecta sunt ac depravata [2]. Contrarias etiamnum leges in Basilicos libros migrasse vel inde probari potest, quod in ipsis adnotationes quaedam expressa ἐναντιοφανῶν appellatione designantur: quam esse legum inter se pugnantium coacervationem a Photio concinnatam nonnulli existimarunt [3]. Cum itaque Iustinianeae legislationis splendor dignitas & praestantia rejectis praecipuis adversariorum censuris iam satis, ut arbitror, emerserit, reliquum est Condiscipuli, qui ad hoc sanioris Iurisprudentiae domicilium convenistis, ut laudato civilis sapientiae thesauro, publici privati que iuris fonti, solerti dio noctuque vacemus industria, quo saluberrimis haustibus edocti, pectus inde vitiorum maculis purgatum, & praeclarissimarum rerum cognitione madidum referamus.

1. haec habet Gerardus Noodt in orat. de coulsu iurisprudentiae op. tom. II p. 618
2. Exempla adfert Bynkershoekius in praef. ad tom. II observat. iur. Rom. p. 9. & ibidem lib. VIII. cap. 13 p. 519. ut multos praetermittam.
3. Smallenburg in notitia Basilicorum § 35. 38. Photius vero antinomias colligendi operam se dedisse, libroque περὶ ἐναντιοφανῶν conscripsisse testatur in Nomocanone tit. IV cap. I. Qua de re consulendus Theodorus Balsamon in praef. ad Photii Nomocanonem, quem laudat Io. Albertus Fabricius tom. XII Bibl. Gr. p. 480.

FINIS.

T H E S E S
AD TIT. XLVII. LIB. VIII.
Cod. de Patria Potestate.

I.

Si filiusfamilias cum patre contrahat, naturali quidem, sed non civili iure, extra Peculii causas obligatur.

II.

Si filiusfamilias maioris aetatis cum extraneis contrahat, modo contractum mutui, aliumve in fraudem Senatusconsulti Macedoniani initum excipias, vel si omni peculio careat tam naturali, quam civili iure obligatur.

III.

Actio cuiusque contractus a filiofamilias praeter peculium initi, licet a contractu conditionali oriatur, & conditio soluta patria potestate existat patri adquiritur.

Disputabuntur publice in Magno Pisanae Academiae Auditorio Anno Domini MDCCLI. IX Kalendas Iunias, hora X. antemeridiana

Adsistente Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. GASPARE CERATO Patricio Parmensi Ecclesiae Conventualis Illustrissimae ac Sacrae Religionis D. Stephani Priore meritissimo, atque Pisani Lycei Provisore vigilantissimo.

DO-

DOMINI ARGUENTES ERUNT

D. Andreas Ptolemaeus Patricius Pistoriensis Academicus variae Literaturae Collegii Ferdinandi Convictor.

D. Philippus Arboreus Biamin ex Comitibus Carezanae Vercellensis Puteani Collegii Alumnus.

D. Ioannes Martinus Rondi a Bugella Puteani Collegii Alumnus

Caeterique volentes.